

VENTRICULI INFLAMMATIO.

951. **U**t reliquae partes, ita quoque stomachus vera inflammatione corripitur potest. Cujus signa, & effectus haec fere habentur: dolor ardens, fixus, pungens in ipso puncto, quo aliquid ei ingeritur, vomitus dolentissimus statim ab omni ingesto, cum singultu dolorifico; anxietas summa & perpetua circa praecordia; febris acuta continua. Ejus causae generales inflammationes, vel vicinia aliorum, vel acria ingesta.

952. Brevi plerumque lethalis fit, nisi subito curetur, ob laesam necessariam functionem, & infinitos nervos connexos.

953. In sanitatem; morbos suppuratorios, scirrhosos, cancrasos, gangraenosos; vel in subitam mortem convulsionibus acceleratam, transire, ut reliqui inflammati, solet.

954. Simulac praesens per sua signa scitur (951.), statim valida sanguinis missione, si opus repetita; potu lenissimo nutriente, emolliente, antiphlogistico, causae contrario; clysmatibus, fomentisque similibus, diligentissime utendum. Cavendum summopere ab omni acri, maxime autem a vomitu.

955. Si in suppuratum abit, multa mala, maxime nausea, vomitus, dolor, succedunt, quae saepe mirabilia apparant; ignorata causa, raro curantur; cognita (951.) per curam abscessus tractari requirunt (402. ad 413.).

956. Ubi scirrhum, cancrumve procreat, tum enormes illos vomitus, dolores intolerabiles, ad minima ingesta acerbatos, fixos, diuturnos, ad omnia medicamenta aspera insurgentes, excitat.

957. Solis lenibus, ad hos morbos requisitis, medelis pacatur (490. 491. 506. 507. 508. 509. 511.); raro curatur: aquae medicatae fontium maxime hic efficaces.

958. Lienis, Pancreatis, Omenti, inflammati, suppurati, gangraenosi, scirrhusi, cancrofi, origo, natura, effectus, cognitio, praevisio, curatio, palliatio, ex iisdem dictis (914. ad 958.) hauriri possunt.

INTESTINORUM INFLAMMATIO.

959. Intestina, maxime tenuia, & frequentissime, in suis membranis acuta inflammatione, ut ventriculus, saepe infestantur, a causis communibus in-

P 3

flam-